

quod idem vitium fuerit in exclusivo  
syllogismo, quia ultimus ille in exclusivo  
virtualiter continetur e. g. in adducto  
syllogismo Minor: non solus Deus potest  
agere, exponitur per has duas: *Deus potest  
agere, Aliquid quod non est Deus, potest a-  
gere.* Conclusio verò per has: *Deus potest  
creare. Aliquid quod non est Deus, potest  
creare.* Factâ hâc expositione formo syl-  
logismum primum & retineo majorem  
hanc: *Quicumq̃, potest creare, potest agere,*  
ei adjungo locò minoris primam mino-  
ris exponentem, *Deus potest agere,* & in-  
fero primam conclusionis exponentem  
*E. Deus potest creare.* In secundò syllogi-  
simo retineo eandem majorem, ei que ad-  
jungo secundam minoris exponentem,  
& infero secundam conclusionis expo-  
nentem, ut secundus syllogismus sit talis:  
*Quicumq̃, potest creare, potest agere. Ali-  
quid quod non est Deus, potest agere. E.  
aliquid quod non est Deus, potest creare.*  
Hic posterior syllogismus, quia conclu-  
dit ex puris affirmantibus explicitè, idè  
exclusivus syllogismus, in quo hic virtu-  
aliter continetur, ex puris quoque affir-  
mantibus concludere dicitur, saltem im-  
plicitè.

SO-